

ditae primi nominis sunt auctores. Ab his uetustiores accepere Ecclesiae Doctores, qui non raro, docente id Casaubono, in Exercit. aduersus Baronium XVI. 43. uocabula quaedam a Paganorum sacris, et ritibus, ad res diuiniore transtulerunt.

XXIV. Ex his igitur, quae disputata haecenus sunt, non difficile erit iudicatu, quid de sententiis, ante enumeratis, habendum sit. Nulla namque scopum attingit, aut dicit, quam ob rem Ioannes, in inscriptione speciatim *Ἀποκαλύψεως Θεολόγου* consecutus sit nomen. Grapii, non nego, sententia, illum suo modo ferit, si modo probari posset, diuisionem Theologiae apud Iudaeos tantam habere aetatem, aut Patribus, qui rerum Iudaicarum ignarissimi fuere, notam fuisse aut perspectam. Vtrumque, quod nemo non uidet, probatione quam maxime indiget. Maimonides, qui eandem plus simplice uice enarrat, recentioris est aevi, neque exploratum satis habemus, an omnia, quae de rebus Iudaicis refert, ab ultima iam apud Iudaeos origine reuera obtinuerint. Interim certum est, Doctores multa a gentibus, uero DEI cultu destitutis, petiisse, et ad Sacra Christianorum accommodasse. Quod religioni Christianae fraudi fuit, certe non exiguae. Inde tot apud Pontificios ritus, qui theatralem quidem sanctitatem sapiunt, sed ueram, Deoque placentem, sufflamant. Hoc utque adeo uerum est, ut neque id inficientur quidam inter ipsosmet Pontificios. Diserte Casalius, de Vet. Sacr. Christianorum ritibus c. LX. scribit: *Licuisse Ecclesiae, quae apud Ethnicos impie supersticioso cultu agebantur, sacro ritu expiata ad pietatem Christianam transferre.*

XXV. Etsi uero non negem, distinctionis gratia, hoc Ioanni nomen dari, tamen specialiores afferendae sunt rationes, quam ob rem, hoc speciatim nomine, illum a reliquis distinguere Doctores uoluerint. Alioqui nomen, quod uel ex circumcisione, uel ex officiis gerebat, sufficere omnino potuisset. Primum enim facile illum distinguebat a reliquis

1103

D

tribus